

non ab aere suspensus, habeat. Sed optimè difficultatem, hanc dissolvit Celeber. Sinclarus in saepe allegato tractatu de arte Nova & Magna gravit. & levit. Lib. 3. Dial. 1. Num. 6. Id non esse hydrargyri gravitatem, quam sentire quis putet, dum Baroscopium leniter à fundo vasculi attollat, neque id esse hydrargyri gravitatem, quod, dum tubus lanci ponderatur, sentitur, sed esse gravitatem incumbentis aëris, qui ejusdem ad amissum sit ponderis cum hydrargyro impendente. Simili illustrat à calice seu poculo desumpto, dum enim ejusmodi vasa aquæ immersum, omni expulso aëre, cum impendente aquâ, attollatur, non aquæ, sed aëris, superne incumbentis, gravitatem sentiri: quod omne prolixius tractatur apud ipsum loco allegato, qui videatur. Ubi & Francisci Lini difficultates diluit, de quibus & Job. Christ. Sturmius in Coll. Curios. part. I. Auct. Ad Concl. I. pag. m. 28. seqq.

CAPUT IV.

DE

BAROSCOPIO STATICO secundum Phænomena & prerogativam, quibus CYLINDRICO & ORBICULARIO præstat, spectato.

§. I.

PHænomenon primum est, quod graviore existente massâ aereâ, contraponidium plumbeum (vel aureum) præponderet, & examen trutinæ S. declinans à perpendiculari situ ostendat gradum gravitatis sive densitatis aeris in circulo apposito PP. Rursus atmosphærâ levioze factâ, examen in alterum latus inclinans, gradum levitatis aeris in altero circuli latere monstrabit. Sed, pro majori capacitate bullæ, vel maiore earum numero, item examinis & scapi prolongatione, angulus juxta circulum quem motu suo examen facit, major existet.

§. II.